

QK. 156.  
21

Ve  
3061

SPICILEGIVM  
*OBSERVATIONVM MISCELLANEARVM*  
DE  
**VICARIIS IMPERII,**  
PRAESIDE  
**MICH. HENR. GRIBNERO,**  
D. ET P. P.  
EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT  
**NATHAN. GOTTL. GNOSPIVS,**  
GEDANENSIS.  
D. XXIV. DECEMBR. M DCC XI.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI.








SPICILEGIUM  
OBSERVATIONVM MISCELLANEARVM  
DE  
VICARIIS IMPERII.

## I.



Ridericum Sapientem post obitum Imperatoris Friderici ann. 1493. Vicariatus munere esse defunctum, *MULLERVS Annal. Saxon. p. 56.* refert. Sed aliud persuadent, qui tradunt, Maximilianum I. iam ann. 1486. d. 16. Febr. Regem Romanorum superstite Augusto designatum esse: quin ex ipso *MULLERO*, qui *p. 52. ad ann. 1486.* Maximilianum Regem appellat, facile apparent, ann. 1493. interregnum non fuisse.

A 2

II. Saxo-

## II.

Saxonem non qua Marescallus est, sed Ducatus antiquissimi causa Prouisorem esse Imperii alio loco monuit Praeses (a). Hanc sententiam confirmant literae Regiae hoc ipso interregno scriptae (b), quibus ius Vicariatus ex antiquissimo Ducatus Saxonici instituto & iure secundum dispositionem Aureae Bullae sibi obtigisse profiteretur.

## III.

Non recte de Vicariatu Saxonico mihi sentire uident-

(a) *Diff. de Terris Jur. Saxon.* §. 8.

(b) Subiiciam, quae hic pertinent, uerba literarum Regiarum, quibus iura & priuilegia Comitis Palatii Ordini Juridico huius Academiac concessit. Ita uero illae: *Posteaquam nobis per inopinatum nuperum ex hac uita discessum Serenissimi & Potentissimi quondam Imperatoris, &c. consanguinei, uicini & fratribus nostri dilectissimi glorioissimae memoriae, Vicaria Imperii Prouisio in terris iuris Saxonici secundum dispositionem Aureae Bullae & ex antiquissimo DVCATVS & Palatinatus nostri Saxonici instituto & iure obtigerit, &c.*

uidentur, qui Palatinum antiquorem longe esse censem; licet haud pauci ita sentiant, & expeditum hoc ac certissimum esse contendat Autor *Diss. de Iure Sereniss. Elector. Palat. circa domanium Imperii competente in districtu Vicariali.* Quin antiquorem, etiam Saxonicum dicerem, cum *Billingum Vicarium Saxonum Annales* memorent (c); Palatini contra idoneum, quod hanc aetatem attingat, exemplum uix afferre posse uideantur.

## IV.

Quae de antiquitate Vtriusque & Rhenensis & Saxonici Palatii addit *Anonymous* ille, & incerta dubiaque sunt pleraque, & ad rem non pertinent. Neque enim ex Palatinatu repetendae sunt Saxonici Vicariatus origines: nec potuit sane de hac causa solidum ferre iudicium, quisquis est Autor illius Dissertationis, qui, quae eam in rem attulit, ex *LVCAE* & aliorum libellis vulgaribus se haufisse non diffitetur, ex quibus quantum profecerit, uel inde patet, quod *Archimareschalliae* sublimè officium Comitibus Palatinis Saxoniae proprium fuisse p.3. sibi persuadeat.

A 3

V. Miror,

(c) *ADAM. BREM. L. 2. c. 4. & ex eo HELMOLDVS L. 1. c. 10. add. ALBERT. STADENS. ad ann. 961.*



## V.

Miror, quod ab *Autore Germaniae Principis* asseritur, Clariss. *STRVVIO* etiam placuisse, *Palatinum* olim per *Saxoniam Vicarius iura exercuisse*. Imo plus hic quoque, quam alter, *Palatino dare* uidetur. Nam ille ius *Palatini ad ciuiles causas restrinxit*, & *Saxonem* criminales per uniuersum Imperium expediisse addit; *STRVVIVS* contra citra causarum discrimen, ubique, *Comitem Palatinum Rheni* & solum Regis uicibus olim defunctum esse affimat (d).

## VI.

Frustrâ. Neque enim *TOLNERVS*, ad quem provocat, *Rheni Palatinos* in *Saxonia Vicarius iura* sibi unquam vindicasse probat, & quae ipse argumenta attulit *STRVVIVS*, huic causae non sufficiunt. Insignia Imperii *Eberhardus Palatinus Henrico Aucupi tradidit*; sed inde quis inferet, in terris iuris

(d) *Diff. XIII. §. 18. Vicarius Imperii ordinarius inquit, semper fuit Comes Palatinus Rhenensis.*  
*§. 18. addit: Solum ab antiquo Palatinum Vicarium fuisse, idemque §. 22. repetit ac confirmat.*

iuris Saxoniceum Prouisorem fuisse? (e). Vicarius in Germania dicitur, & in aliis diplomatibus Vicarius in deutschen Landen; sed illa quoque appellatione Saxoniam comprehendi non puto, cum & post Caroli IV. Bullam conditam idem elogium Palatino quandoque tribui uideam, quod uel ex ipso FREHERO (f), ad quem prouocat STRVVIVS, ei poterat constare. Quis uero persuadere sibi patietur, etiam post illa tempora ulla inter Saxones Prouisionis partes Palatinum sibi arrogasse?

## VII.

Distinctionem Vicariorum in *uniuersales & particulares* reiicit Idem Vir Clariss. l. c. s. 17. Ego, quid in illa desiderari possit, non uideo, & Vicarios Italiæ Vicariis, quos uocant, uniuersalibus, Saxoni in- quam

(e) Sane si huiusmodi argumenta quidquam ponderis haberent, eadem facilitate contenderem, ipsum Henricum Aucupem per uniuersum Imperium Vicarius iura exercuisse. Eum enim, si L VITPRANDO fides est, Conradus ante obitum non heretem modo, sed & Regiae dignitatis Vicarium declarauit. Sed malim ego huiusmodi rationibus non uti.

(f) FREHER. ad Annal. p. 200.

quam & Palatino interregnū tempore subesse ostnino  
persuasus sum.

## VIII.

De iuribus quoque Vicariorum Imperii minus  
recte sentire uidetur *Vir Celeberrimus*, dum & *ius*  
*precum primariarum uocat in dubium* (g), & ea, quae  
directe ad Regiam dignitatem ex antiqua Ordinatione  
pertinuerunt, eorum potestati *subtrahit* (h), denique  
praeter ea, quae nominatim Carolina Bulla exprimit,  
nulla eis iura relinquunt, nisi quae aut vi *priuilegii*, aut  
*ex obseruantia* ipsis competere probentur (i). Sed  
his

(g) §. 29. Sed iis argumentis, quibus iam alii puto abunde  
satis fecerunt.

(h) §. 27. Evidem ad antiquam Ordinationem de Officio  
Comitis Palatini prouocat, quam *GOLDASTVS*  
*Constit. Imp. Tom. III. p. 403.* exhibet, ubi §. 10. illa  
iura Palatino denegantur. Sed ut taceam, non ex-  
primi in ea Ordinatione, quacnam sint illa iura,  
directe ad Regiam dignitatem pertinente, frustra  
puto post Bullam Auream potestatem Vicariorum ex  
hac antiqua Constitutione assimilari.

(i) §. 27. add. §. 32. ubi reliqua, quae Aurea  
Bulla non exprimit, iura a Palatinis vi *priuilegi*  
*a Saxonis Vicariis ex obseruantia exerceri con-*  
*teadit.*

his non est cur immorer, cum iam ab aliis occupatum sit hoc argumentum.

## IX.

Ad Auream Bullam iam iuuat digredi; cuius, nisi me omnia fallunt, sententiam non satis capiunt, qui ex verbis: *Comes Palatinus Rheni ESSE DEBET Prouisor Imperii*, inferunt, Comitem Palatinum & Ducem Saxoniae etiam inuitos Vicariatus munus suscipere teneri, quae *B R A V N I I* est interpretatio *Var. Amoen. Libr. th. 17. p. 169.* Aliud enim, quae sequuntur: *Comitatus PRIVILEGIO. & §. 2. codem iure FRVI uolumus, postulant & docent, quae in fauorem Inter-Regum hereditariorum haec adiecta esse indicant, ne scilicet alias has sibi partes vindicare possit.*

## X.

*Vicarios Imperii de fructibus, quos recolligendi potestas nominatim Ipsiis Bulla Carolina tribuitur, nouiter electo Imperatori rationes reddere teneri, Interpretes plerique afferunt (k). Ast Imperatorem B sibi*

(k) Quos sequitur nquamissime *S T R V V I V S* l. c.  
§. 30.

sibi fructus interregni tempore collectos asserere non posse certum est: ut, si omnino quicquam restituendum sit, Imperio id restitui debeat. Sed & an omnino rationibus sint obnoxii Interreges, nondum satis expeditum esse puto. Neque enim improbabile est, eandem hic Regis & Vicariorum esse debere conditionem. Est & Rex Prouisor &, si ita uis, tutor Imperii, colligit ac percipit Imperii nomine fructus, neque tamen, dum eos in publicas utilitates conuertit, quisquam ab eo rationes reddi postulat, sed liberius de iis disponendi arbitrium quiuis facile aequo animo ei relinquit. Neque Bulla Aurea, dum recolligendi fructus ius Interregibus tribuit, restituendi necessitatem Ipsis inuincit. Imo Palatinorum tabulae, praeter ius recipiendi redditus, potestatem eos ad usus suos pro defensione S. Imperii & pro ipso Imperio ac euidenti expensarum necessitate supportandi & applicandi Vicariis simul concedunt, nulla reddendarum rationum facta mentione. Neque extat sane exemplum, ubi rationes exactae ab Interregibus fuerint, quorum res gestas dum ratas esse iubet Rex electus, etiam ipsam administrationem & dispositionem reddituum ratam habet & approbat. Fructus raro attingent onerum & expensarum quantitatem, & si quando excedant, non iniquum est, tenue satis commodum iis relinqui, ad quos incommoda interregni pertineant.

## XI.

Absente non minus quam mortuo Rege uicibus suis defunguntur Prouisores Imperii, neque integrum est Regi alium in eorum locum surrogare (1). Itaque cum Sigismundus Augustus Moguntinum Praefulem Conradum constituissest Vicarium, cessit tandem ille Palatino, eiusque ius non inuitus agnuit ann. 1423. Digna sunt, quae adiificantur Reuersalium, ut uocant, uerba: Als der Allerdurchlauchtigste Fürst und Herr / Herr Siegmund/ Römischer König/ &c. Uns zu Seinen und des Reichs Verweser und Stadthalter in deutschen Landen/ zehn Jahr/ die nächsten nach einander/ gesetzet und gemacht / und Uns Seinen Brief mit Seiner Königl. Maj. Insiegel versiegelt darüber geben hat; Und Uns aber der Hochgebohrne Fürst/ Herr Ludwig/ Pfalz - Graf bey Rin/ &c. mit Uhrkunden und Briefen unterwissen hat/ daß das nit seyn soll: So haben Wir Uns von solcher des obgenannten Unsers Oheims Herzog Ludwigs Unterweisung &c. des vorgenannten Fürweser- und Stadthalter-Amts entzählagen; Und wir versprechen/ gereden und geloben auch mit guten

B 2

ten

(1) Dissentit nouissime G I O V A N N I SAXON.  
p. 165.

ten Treuwen in Kraft des Briefes / das Wir Uns  
des furbas nicht mehr annehmen / unterwinden  
oder gebrauchen sollen in keine Weise. Adde *MVL-*  
*LER. Reichs-Tags-Staat p. 718. & GOLDASTI.*  
*Reichs-Sachyungen Tom. I. p. 243.*

## XII.

De eo quoque memini esse dubitatum, utrum in  
quocunque absentiae imperatoris casu Vicariorum  
potestas se exserat, *an tantum si Alpes ille transgredia-*  
*tur? SCHVZIVS* posterius affirmat (m), cuius senten-  
tiam adiuuare uidentur diplomata, quae de hoc ca-  
su nominatim cauent (n). Sed ex aliis tamen ap-  
paret, potestatem Vicariorum ad itinera Itatica re-  
stringi non posse. Hinc cum *Carolus V. ann. 1521. ad*  
*Hispanos abitum meditaretur, ac Regimentum Im-*  
*perii,*

(m) *Colleg. Iur. Publ. L. i. t. 4. pos. 3. p. 178.*

(n) Diplomata Palatinorum ita habent: *Quod cum Roma-*  
*nus Imperator vel Rex ultra Montes Italiam ingre-*  
*sus fuerit, &c. Vid. TOLNER. Cod. p. 144. Ita &*  
*Fridericus Sapiens in literis Vicariatus causa an. 1496.*  
*datis: Dass dieser Zeit die Römische Königl. Maj. ü-*  
*ber die Berge sich in Lamparten gesügt und ge-*  
*jogen.*

perii, quod absentis uicibus fungeretur, constituis-  
set, *Ludouico Palatino* cauit, eam rem praeiudicio  
ei esse non debere. Literas *TOLNERVS* exhibit  
*Cod. Diplom.* p. 157. Quales etiam Saxonem obti-  
nuisse *MULLERVS* docet in *Reichs-Tags-Staat*  
p. 727.

### XIII.

Neque ad hos duos sedis uacuae & absentis Re-  
gis casus potestas Vicariorum tantum pertinet,  
sed quaecunque Rex partibus suis defungi impeditur,  
eadem se exserit. Bene monet *Magnificus HORNI-  
VS*, si imbellicitate mentis aut corporis Imperator  
laboret, quae eum rebus Imperii prouidere non pa-  
tiatur, Interregiae administrationi esse locum, c. 21.  
§. 3. Idem obtinet, si ab hostibus captus Rex detineatur,  
quod *Wenceslai* exemplo edoceatur. Qui cum a  
Bohemis arctiore custodia includeretur, *Rupertus*  
*Comes Palatinus* in partibus Rheni & reliquis, quae  
ad curam ipsius spectant, munere suo defungi non  
dubitauit. Vid. *Diplom. ap. TOLNER. Cod. Dipl. n. 187. P.*  
B3. § n. 189. p. 144.

## XIV.

*Capitulationis Iosephinae articulo XLVII. cau-  
tum est, Vicarios, si ita fata tulissent, ad XVIII. Re-  
gis annum administrationem Imperii gerere debe-  
re. Ad quem locum *non nemo tradit*(o), non ean-  
dem hoc casu Vicariorum, ac interregni tempore  
esse solet, potestatam futuram fuisse, si ita quidem  
enunisset, sed mandatam duntaxat, mandantis no-  
mine exercendam. Sed cum eadem iura, quae Se-  
de Imperiali uacante Vicariis competunt, etiam  
absente Rege exerceant, ac parum intersit, utrum  
ob absentiam, an per aetatem Imperii curam susci-  
pere Rex impediatur, non dubito ab hac sententia  
discedere. Neque enim eam Capitulatio Iosephina  
confirmat, quae administrationem Imperii Vi-  
cariis absque conditione decernit, nec verba in  
*Unsern Nahmen* delegatam potestatem indicant,  
si quidem absentis etiam Regis nomine expediri ab  
Inter Regibus regni negotia posse, puto, salua ta-  
men ea, qua ex legibus Imperii utuntur, auctorite-  
tate.*

## XV.

(o) *Autor Meditat. ad Capitulat. Ioseph.*  
p. 300.

## X V.

*ARVMAEVS de Comitiis cap. 3. n. 44.* Vicarios Imperii Capitulationibus Imperatorum obstringi negat. Mihi ex principiis publici uniuersalis iuris fluere uidetur, *Inter Regis non posse esse ampliorum, quam ipsius Regis potestatem, saltim ampliorum non posse praesumi.* Evidem Capitulationes solemniores illae demum post Maximiliani I. obitum auctore Friderico Saxone Sapiente condi coeperunt, neque cum Vicariis unquam huiusmodi conuentio interposita deprehenditur. Sed hae rationes si quicquam ualeant, consequetur, *Transactione quoque Religiosa ac Instrumento Pacis Guesphalicae, quatenus obligant Imperatorem, Vicarios non teneri.* Quod quam improbabile & παράδοξον sit, nemo non intelligit. Neque quod non Imperatoris Vicarii, sed Imperatores Vicarii dicantur, aliud persuadet, cum sufficiat, Imperatoris munere eos & uicibus defungi, *Inter Reges esse, Inter Regis uero potestatem in dubio eandem esse, quae ipsius Regis est.* Imo ea quoque, quae Carolo IV. & qui eum praecedunt, Imperatoribus integra non fuerunt, Vicariis permissa esse eadem facilitate affirmare liceret, cum haec quoque iura nominantur.

X3542918


( 16 )

tim Ipsiſ non ſint denegata. Itaque non mihi li-  
mitatam, quam ipſius Imperatoris, Inter Regum po-  
tentiam eſſe credo. Sed haec faluo aliorum iudi-  
cio ac faluis in primis Vicariorum iuribus dicta eſſe  
uolo. Addatur Magnif. HORNIVS c. 21. §. 10. &

Ej. Programma Difſert. inauguraſ. Garbiſ.


de Leg. Anafatiana praemissum.

R 3061 OA



No 18

M.C.



B.I.G.

Black  
3/Color  
White

